



pugnantia dissoluat. Sic ex Liuji loco unà cum Prisciano Cæsariensi denarium efficit quatuor scriptulorum, cum id ex eo colligi nõ possit. addit enim ferè, ne quis plane tres denarios idem pondus habere quod tetradrachmum Atticum credat. Sentio itaq; ut iam dixi, authores non nisi de iusti ponderis denarijs locutos & quidem argenteis. Sed de his plus fatis. Perotti namq; ineptias omittam consulto. Verum denarium diuidi in duos Victoriatos ait Volusius, quem sum secutus. A nobis autem dissentit is qui ponderum explicationem quandã adiecit Scribonio Largo quisquis fuit. inquit uero, Victoriatus argenteus erat nummus uictorię nota signatus, pro quo, in cõpositionibus à Scribonio relatis, Galenus duos obolos ponit, hoc est scriptulum. Sic ille. Et certe uidetur ita in quibusdam locis. sed sunt alij loci in quibus recte per *τριώβολον* reddit. Vt Scribonius Largus Comp. clxx. scribit thlaspis. ✕ pondo vi. & uictoriati. opobalsami ✕ pōdo vi, & uictoriati. Galenus uero in secundo *πρὸς ἀντιόχου* libro *ὄπρ βαλσάμου, θλάσπεως αἰὰ δραχμὰς ἑ καὶ τριώβολον*. id est, Opobalsami thlaspeos singulorũ drachmas sex & triobolum. Sic etiam in parte compositionis, quã deest, ubi Galenus habet *τριώβολον*, Ruellius medicus insignis & doctus eam complens uertit recte uictoriatum. Quin etiã hoc argumento

H est